

/ Illustrissime, et Excellentissime Domine. Audivi Excel. Vestram indesinenter favoribus ac gratiis prosequi Anglos Catholicos, et speciatim meos Patres Societatis Jesu. Pro hoc tam singulari beneficio; ago primum Divinae Majestati, toto cordis affectu, quantas maximas gratias possum, deinde Excell. Vestrae: et enixe rogo, votum bonum, et sanctum opus non solum non deserat, sed quotidie magis perficiat. Res enim est praestantissima consolari eos, qui in pressura sunt, ac Deo, plus quam credi potest, acceptabilis, et grata: et ego, si divinare possem, in qua re valerem Excell. Vestrae gratificari: animo volenti, et corde magno peragerem. Nunc autem, quia non occurrit, quid melius optare possim Excell. Vestrae; precor Deum, ut ei mensuram perfectam, ac coagitatam verae, et perfectae felicitatis largiri dignetur; quod non solum in praesenti: sed in posterum in meis orationibus facere non desistam.

/5 Noster Barclajus bene valet, et Summo Pontifici, et Curiae universae aprime carus est: et sicut Excell. Vestra illi praedixit, a me veluti Filius charissimus amatur: me saepe invisit, ac consulit in suis rebus. Nolo diutius detinere Excell. Vestram, cui omnia fausta in his Natalitiis Festis, et anni nascentis exordio ex corde precor ab eo, qui origo et fons est bonorum omnium. Romae 26. Decembr. 1617

---

Epist. famil. CLV. cf. réponse du comte 24 juill. 1618.

Italice. Vatic. Gesuiti 21.